

FRANC. CON-  
 NANI PARISIEN-  
 SIS, CONSILIARII RE-  
 GII, AC SVPPPLICVM  
 LIBELLORVM IN RE-  
 gia Magstri, Commenta-  
 riorum Juris Ciuilis  
 Libri X.

*Argumentis, & summarijs ante singulorum librorum capita, & legis numero  
 atq; ordine in margine annotatis, per D. Franciscum Hotomanum exornatis,  
 atque illustratis.*

Additis in fine tribus indicibus copiosissimis & locupletissimis, quorum prior totius  
 operis capita, secundus leges in ii & explicatas, & conciliatas:  
 posterior verò res, ac vices in ipso passim  
 tractatas continet.



*Est forma auctoritate  
 gallica de 1632  
 forma per universitates  
 sancti officii  
 Andreas Menestrier  
 Bernardus 1632  
 Montaigne 1632*



541  
 LVGDVNI,  
 APVD HÆREDES IACOBI IVNCTÆ  
 M. D. LXV.

COLL. SOC. IESV SALM. EX D. NO REGVM.

BARTHOLOMAEI FAII, REGII LV-  
TETIAE SENATORIS, IN FRANCISCI CONNA-

NI, LIBELLORVM IN REGIA MAGISTRI,

*Commentarios Iuris civilis ad amplissimum virum*

FRANCISCVM OLIVARIVM

*Franciae Cancellarium,*

PRAEFATIO.



VARVM artium omne opus in agendo est, earum quidem omnium  
sines iurisprudencia, civilis eius scientiae, quam Aristoteles Architecto-  
nicen vocat, optima pars, suo ipsa sine continet: non quia praescribat  
sacerdoti, militi, medico, & cuilibet artificio quid cuiusque horum mu-  
neris sit, sed quod in eo, dum usus venerit, diiudicando, sic sibi subiectas  
& velut in consilium adhibitas peritorum facultates vniuersa quadam  
sua vi exequitur, vt multo melius de reliquis artibus ipsa, quam illae ipsae de se statuere  
videantur. Hanc itaque nostri diuinarum humanarumque rerum noticiam diffinierunt.  
M. quoque Cicero vnum duodecim tabularum libellum omnibus bibliothecis antepo-  
nendum esse censuit. Iam vero cum plura versusum millia Pandectarum libris praecisa, &  
in huius (vt ita dicam) demortui locum suffecta habeamus: non difficile erit Zenonis illud,  
palmam rhetoricam, & pugnam dialecticam assimilantis huc transferre, quodque verissimum  
est, agnoscere hanc nostram scientiam explicitam omnem philosophiam esse. Tantum spa-  
tiorum haec variis infinitisque negociis ex aequo decidendis, disertaeque in atomos quas-  
dam dissecandis confecit, vt eoulsque progressam iure demiremur. At qui in foro causa-  
rum aliquo celebri, qualis hic noster amplissimus Galliarum confessus, iudex aliquandiu  
federit: nam malit ille cum Vlpiano plura esse vocabulis negocia fateri, quam immen-  
sam illam iuris farraginem, frustra confectandis quaque in specie autoritatibus, euolu-  
ere. Neque enim omnia quae inter homines geruntur, quaeque in controuersiam ali-  
quando veniunt, quamuis multis tum consultorum, tum interpretum scriptis, com-  
prehendi potuerit. Quamquam ex his quae relicta ab illis accepimus, peritus exercita-  
tusque iudex inductione, similitudine, parique vel aequitate, vel ratione caetera facile  
omnia sit terminaturus. Verum ad haec arte opus esse vel ipsa iuris sub artis genere co-  
prehensa finitio, vel huius studij multiplex positio ostendit. Neque non delectat Tul-  
liani illius de iure in artem redigendo instituti, spem nobis in quorundam pollicitis e-  
tiamnum reliquam fieri: & si cuique rem ipsam contueri, id non aequum factum atque di-  
ctum proclive videri possit. Nam neque quod in Musicis, Geometria, Astrologia, & in  
caeteris certa demonstratione praefinitis artibus, sed neque quod in Physicis, similiter haec  
in nostra scientia eueniat. Ducem isti naturam sequuntur in omnibus: nos in multis pau-  
lulum ab ea descedentes, ita vt nec ipsius status aut omnino corruptatur, aut insigni-  
ter deprauetur, opinione nitimur, legum autoritate, vsuue comprobata, & ipsa se-  
pius variante, quod in tam diuersis hominum, locorum, ac temporum moribus haec  
vniuersitati, quae singulorum commodis praestat, exemplo conseruanda potior sit: nec  
se vsquequaque aut regularum, aut definitionum, aut denique rationum laqueis ir-  
reti patiatur: cum haec interdum nos fugiant, istae plerumque periculosae sint, illae vix in  
officio contineri queant. Nobis itaque quemadmodum verum ille ingeniorum censuit,  
quid quaque in re iuris statuatur, pingui (vt aiunt) Minerua, ac multo simplicius quam  
Ciceroniana illa ratio postulet, demonstrandum: nec ultra quam rei natura toleret, quo-  
quo in genere, & eotantum subtilitas requirenda, quod theoreticum nostri non imme-  
rito appellant: vt quo prolyta quisquam multa speculatione quae cuiusque iuris cum  
alio diuersitas sit, quaeque horum inter se cognatio & affinitas, proprii cuiusdam in vno-  
quoque



# FRANCISCI CONNANI NIPARISIENSIS CONSI- LIARI REGII, SUPPLICVM-

QUE LIBELLORVM IN REGIA

Magistri, Commentariorum Iuris

civilis Liber primus, qui

TITULVS INSCRI-

bitur.

Ius re vera sit, an opinione tantum.

## CAP. I.

- 1 *Quis quibusque modis quicquid in disputationem incidit tractetur.*
- 2 *Veritatis huius quaestio, sui naturae sit an opinione.*
- 3 *Disputat ius esse opinione, & cur nemo adhuc ius in artem redegerit.*
- 4 *Superiorum argumentorum confutatio.*
- 5 *Cur leges eadem omnibus in locis non sint.*
- 6 *Natura & opinio consideratio.*
- 7 *An ars aliqua iuris esse possit.*
- 8 *Ius natura esse, & multa de hominum conscientia, & imitato Dei timore.*
- 9 *Ius in hominum mentis ortum habere: hominem porro esse mentem, non corpus.*
- 10 *Ius non licet à natura seiuungere.*



Es omnis cuius est disciplina, an sit, quid sit, qualis sit, quaeritur. Primum in coniectura positum est, alterum in diffinitione, tertium in ratione, & partium distributione. Coniectura à causis tum efficientibus, & consequentibus, tum ab adiun-

ctis & similibus, eorumque contrariis ortum rei inquirunt. Diffinitio rem inuentam sed adhuc obscuram & inuolutam aperit: quam postea diuisio incerta genera generumque partes digestam, latius explicat: ut non solum res, sed quaecunq; rei propria sunt, quaeque ei accidunt, cognoscantur. Nec in praecipuum venit quicquam, quod non his tribus quaestionibus diligenter expositis, perfecte tractatum, expositumque esse censetur. Sit autem, an non sit, de quo disputatio futura est, quaeritur in primis, ne frustra omnis suscipiatur labor, si in eius rei quaestione non est, institutione consumatur. Cum enim scientia nihil aliud sit, quam naturae quaedam observatio, & cognitio rerum earum quae non sunt, nulla institutio suscipi potest. Vt igitur aliqua doctrinae viam habeat istud quicquid est, quod de iure aggredimur scribere, primum nobis afferenda ea quaestio est, ius re vera sit, an opinione tantum, quae tamen philosophorum scholis a prior quam foro esse videatur, adeoq;

A à veteribus Iurisperitis aut consulto neglecta, aut omnia imprudenter: volumus tamen nos paucis eam attingere: tam expleto Cicero aduerti, qui doctissime eam est in legibus suis persecutus: tunc multo magis eorum gratia, qui tenent studio Iuris huius ediscendi. Nam si cognouerint, non vano quodam fortuitoque hominum instituto ius hoc quod quaerimus constare, sed vni omnem suam habere à natura, hoc assequuntur inde comitandi, ut ne desperent vel mediocri labore & ingenio, repleri posse iusta eius scientia. Non enim erit haec similis artium reliquarum, in quibus nihil potest, qui non didicerint: ac in hac multum valet, quicunque non tardo erit iudicio, etiam si non ita valde fuerit in ea versatus. Deinde rei dignitas ipsa, quae tam praeclarae originis opinione nitetur, augebit in eis discendi studium & ardorem, ut nihil futurum sit tam difficile & obscurum, quod non illa animi alacritate facile assequantur. Tum quod maximè est, assuescent quaecunq; legerint in iure civili, non ad quandam subtilitatem artis, sed ad naturae bonitatem dirigere, ut ad eam possint rectis studiis contendere, quam cognouerint legum institutorumque omnium finem esse postremam.

B At enim multis videri possit sola opinione, non etiam natura ius esse, quod non idem sit apud omnes, sed aliis alio populus, & ferè suo quisque varietur. Apud Persas & Macedonas erat aduersus ingratos constituta actio, cum hoc malum sit apud alios populos impunitum. Et Lacedaemonis eduliorum furta permissa erant, quae alibi fere semper prohibita. In seditione verò populari qui neutrum erat partium, tenebatur lege Solonis, cum is ceterarum civitatum instituto, probi quicunq; eius laude cumuletur. Et ut pauca de multis colligam, ex raptis olim vivere Cilices Massagetae communes uxores habuerunt: & filiarum suarum matrimonio Persae quondam vti sunt. Adeo potè est in rebus humanis opinio, ut nata semel consuetudinem, abeat in mores, & diuturnitate temporis naturae vim obtineat. Atq; id ne valde miremur in tanta populorum infinitate, in eadem saepe civile ac perniciosa tempora leges ipsas mutari & corrigi videmus. Hinc tam multae & frequentes earum abrogationes, derogationes, obrogationes, torperuntque earum inter se repugnantiae & dissensionis. Quod in rebus honestis, quarum cum iustus est pro-